

retur; si auri semunciam non excederet: supra id mutuo erogaretur: neque tamen auri libras tres ullius civis census posset excedere. Simul, quod illis ipsis diebus terrestres etiam equitatus & peditatus copias ex Gallorum regis fœdere Senatus contra Ludovicum cogere, atque in Galliam mittere tenebatur, pecuniaque erat uno tempore in classem atque in exercitum separatim subministranda: lex est lata, ut quæ civitates sub reipublicæ imperio in continenti essent, iis literæ darentur, vellent pro suo in rempublicam studio tam difficiili ejus tempore subsidiij nomine pecuniam publice ad urbem mittere, sua cuique civitati dicta & constituta summa, Patavinis auri libris centum, Vicetinis octoginta, Veronensibus totidem, Brixianis centum viginti, Bergomatibus quinquagintaquinque, Taurisanis quinquaginta, Cremensibus viginti, cæterisque item infra hæc: quæ quidem civitates ut in rebus tam urgentibus lubentes atque alacriter suam quæque partem in æarium contulerunt. Alexander etiam Pontifex Maximus omnium proventuum, quibus sacerdotes in imperio reipublicæ fruerentur, partem plus tertiam in id bellum Senatui concessit, Cardinalium sacerdotiis exceptis.

Iis administratis rebus, æstatis parte jam præterita Bajasetis classis navium omnis generis circiter ducentarum septuaginta, quo in numero erant triremes septuaginta, biremes quadraginta, naves duæ onerariæ immani magnitudine, freto egressa, Eubœamque insulam prætervecta, ad reipublicæ in Achaja littora se convertit: & exercitus maximis instructus copiis, cui præerat rex ipse, terrestri itinere eodem proficiscitur: cum rex, antequam Thessalonica discederet, cives Venetos, qui Byzantii commorabantur, in vincula conjici mandavisset: in quibus erat Andreas Grittus, de quo supra dictum est. Is, quod ad magistratum, qui erat Naupacti, charitate patriæ juvenilem animum stimulante literas notis conscriptas omnibus de rebus deque regiis consiliis dederat, duriore conditioне quam reliqui omnes in custodia fuit: parumque abfuit, quin interficeretur. Antonius magna diligentia omni-

*Turcarum  
classis.*